



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Judicium Grave à Domo Dei, Omnibus Templorum,  
Processionum, Et Qvorumvis Sacrorum, Dum Irreverenter  
& Impie Divinis assistunt, Dehonestatoribus formidandum**

**Pragae, 1670**

Epilogus.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54878)



EPILOGUS.

Quid igitur Contemptoribus, & dehone-  
 statoribus sanctissimorum Templorum,  
 & rerum cæterarum Divinarum, expectan-  
 dum erit, nisi gravissimum DEI iudicium,  
 & multiplex in hac vita, utinam non etiam  
 in altera? supplicium & pœna? ingenuis-  
 mus nos sub hostili ferro concidere? pesti-  
 lentia malo accidi? famis & penuriaë damnis  
 interire? sterilitate in segetibus, ærugine in  
 hortis & vineis, flammâ in prædiis & horre-  
 is, morborum plagis in corporibus percuti?  
 meminimus non aliam majorem horum  
 causam esse & originem, quàm dissolutio-  
 nem in rebus sacris, impietatem in Divinis,  
 & seordiam in Templis. Christus Domi-  
 nus in Evangelio Matt. 24. designaturus tem-  
 pus, quò complendæ sunt calamitates &  
 pœnæ scelerum, à Daniele Propheta prænun-  
 ciatæ, quando *converser gens in gentem, & Re-*  
*gnum in Regnum, & erunt pestilentia & fa-*  
*mes &c.* signum illius & prognosticon non  
 aliud assignat quàm hoc, *cùm videritis abo-*  
*minationem desolationis*, id est summam im-  
 pietatem, *stantem in loco sancto*, id est in  
 Temple. Tunc ergo maximè timeat deso-  
 lationem, & supplicium à DEO infligendum  
 peccator, quando in locis sacris, & rebus



ad DEI cultum spectantibus, abominatio-  
 nes admittere non erubuerit. Audiamus  
 enim Aggeum Prophetam, (cujus verbis  
 Tractatum hunc concludere placet) omnia  
 mala hæc ex DEI nomine, in Templi Domi-  
 ni neglectum & contemptum refundentem;  
 & discamus exinde, si mala hæc omnia in-  
 populum suum venire Deus voluit ob ne-  
 glectam materialem Templi structuram,  
 quòd è ruderibus suis & ruinis excitare illud  
 dissimulâssent, quantò magis zelaturus est  
 spiritualem ejusdem ædificationem, & acer-  
 bius vindicaturus pessimos mores, quibus  
 sanctitatem ejus funditus eversum, prosti-  
 tutum, & in vile stabulum, ac prostibulum  
 conversum imus. *Factum est Verbum Do-  
 mini in manus Aggai Propheta c. I. v. 3. di-  
 cens: Numquid tempus vobis est ut habitetis  
 in domibus laqueatis, quando interim Domus  
 ista deserta est? Et nunc hæc dicit Dominus  
 Exercituum ponite corda vestra super vias ve-  
 stras, seminastis multum, & intulistis parum;  
 comedistis, & non estis satiati: bibistis, &  
 non estis inebriati, operuistis vos, & non estis ca-  
 lesfacti: & qui merces congregavit, misit eam  
 in sacculum percusum. Hæc dicit Dominus  
 Exercituum, ponite corda vestra super vias  
 vestras: ascendite in montem, portate ligna, &  
 ædificate Domum: & acceptabilis mihi erit, &*



glorificabor dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus? & intulisti in domum, & exuflavi illud. Quam ob causam dicit Dominus Exercituum? quia Domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt Cæli, nè darent rorem; & terra prohibita est, nè daret germen suum; Et vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quacumque profert humus, & super homines, & super omnem laborem manuum.

Vultis pro maledictionibus his benedictiones super vos induci? imitemini fideles illos Israelitas, & quemadmodum ipsi malis his commoti, ad materiale Domus reparationem, ita & vos excitemini ad spiritua- lem, & tunc venite, & cum Domino contendite, nisi bonis omnibus, etiam in hac vita repleamini. Dicam enim cum eodem. Propheta tunc audacter, & vos fateri cogemini c. 2. v. 16. Nunc ponite corda vestra à die hac & supra, antequam poneretur lapis super lapidem in Templo Domini. Cum accederetis ad acerbum viginti modiorum, nonne fiebant decem? & cum intraretis in torcular ut exprimeretis quinquaginta lagenas, nonne fiebant viginti? ponite corda vestra ex die ista & in futurum, à die vigesima & quar-



7a noni Mensis (Novembris) à die quâ funda-  
 menta jacta sunt Templi Domini, & quâ ince-  
 pistis Templum habere ut Domum DEI, &  
 Sacra cum omni veneratione tractare; po-  
 nite super cor vestrum. Numquid jam sensen-  
 im germinare est? procul dubio nequaquam,  
 cum tempus hybernum Novembris, germi-  
 nandis frugibus minimè sit aptum. Et ad-  
 huc vinea, & ficus, & malogranatum, & li-  
 gnium olivæ non floruit. Ex die ista tamen, bes-  
 nedicam. Ut experimento discatis, non a-  
 liunde benedictionem de Cælo sursum, &  
 de terra deorsum esse expectandam, quam  
 à Domo DEI, & sincero illius cultu. Ideoq;  
 exultabundi clamabitis; *replebimur in bonis  
 Domus tua; quia revera sanctum est Templum  
 tuum, mirabile in aequitate.* Ps. 64. Ex quo  
 enim posuimus cor nostrum, ut exquire-  
 mus faciem tuam in toto corde nostro, *visi-  
 vasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti  
 locupletare eam, benedixisti corona anni beni-  
 gnitatis tua, & campi repleti sunt ubertate;  
 pinguescunt speciosa deserti, & exultatione col-  
 les accinguntur, induci sunt arietes obvium, &  
 Galles abundant frumento, & omnia clamant,  
 quia non aliunde inebriabuntur, quam ab  
 ubertate Domus tua.* Psal. 36.

F I N I S.